Heinsio.

Vir Amplissime. (45).

Politica quidem hactenus non vidi, sed, si quid hoc amplius est, expectans expectavi, et nisi amicitiæ nexus secutionem reddidisset, ~~prom~~ certè promissionum tuarum fides visa fuit non indigna cui incumberem, ut jam titulo speciali vindicare viderer posse, quod ne sub generali quidem elapsurum fore sperabam. Nunc verò, ubi nedum hâc, at ne illâ quidem eâ parte satis mihi prospectum animadverto, fateber eam opinionem de amicitiâ hâc concepisse, quam nisi coactior haud libenter equidem proloquar. Ne vel sic tamen silerem, meâ interesse putavi; quo nempe certior fias, si potis est hactenus ut non fueris, quam usque tu et omnia tua in pretio nobis sint. Deinde solemnis rerum mearum vicissitudo adigit, ne non te interpellem. Si enim tanti est, scito nos itineri Brittannico tertium jam accingi, quandoquidem Patribus Patriæ sic placuit. Itaque si quidquam in iis partibus occursurum videtur, ubi operam ~~meam~~ nostram vel negligere vel dedignari nolueris, ecce ij sumus, Clarissime Heinsi, qui nemini mortalium libentius omnia nostra detulimus, nemini sanctius, nemini promptius impensuri sumus. Vale vir summe, et nisi planè tandem indigni videmur, vel amare nos perge, vel incipe. Hagæ 4o Id: ~~[illegible]~~ Octobris 1621.

Tui Studiosissimus

C. Hugenius.

D: Heinsio.

Clarissime Domine. (46).

Nihil porrò nisi magnum a te proficisci ~~potest~~ posse, ut novis quotidiè experimentis nos inculcas, pridem inter axiomata fidei litterariæ retulimus. Unde illud, eorum quæ ad eruditionem spectant, non aliunde charius quidquam nobis offerri, ~~quam~~ iis quas a tuâ manu etiam emendicatis; quoniam in nostra novissimas, ~~hoc~~ ut ne referam per pudorem non licet, de quibus ~~[illegible]~~ amori atque ~~[illegible]~~ magnas ac maximas habemus gratias. Nam de Politicis: sat est: et quidem tam teneor, quam si dimittar onustus. Ipse mihi Bibliopola fateretur non nimium id bonâ fide agier, quod præter stipulationem distrahitur; nisi quod tardior opinione, Amplissimus Rutgersius adesset, et lucelli gaudium suspenderet. Quod tuo nomine compactum exemplar ab Elzevirio jubes exigere. frustrà sanè, et ut videtur ex parum liberali de nobis opinione. Neque enim ij sumus qui in his talibus expensam fugere soleamus, vel autorum comitati injuriare, quò in librariorum nomina ne incurramus

ij

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 6
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/109

ij verò qui magnorum virorum amicitiis nihil prius habemus neque antiquius, hujusmodi eorum testimonia vel emendicare, ut ante dixi, nunquam erubuimus. saepe nobiscum dubii, utrum posteritati de librorum editione gratularemur magis, an ipsi nobis quam dono Autorum eos possideremus, praecipuè talium: quâ voluptate quamquam impraesentiâ excidi, Clarissime Heinsi, non adeo iniquus sum, tibi ullo pacto ut imputatum velim; quin ipse meâ culpâ id lucri fecisse agnosci volo, melius ut in posterum de fide promissionum tuarum speraturus sim. caeterum praeclare nunc satis mecum agi rapus, si quominus a te habeam, per me stetit, absque te quo minus habeam per te non stet. Habeo enim, et in deliciis habeo praestantissimum volumen. licet (quia me negotiola distrahunt) praeter Praefationes in eo nihil hactenus legerim; unde excusatum habebis, si sententiam de operis dignitate in primam occasionem differo. quamque ubi omnia perlegero nihil tandem verius isto calamo expositurus sim neque dignius, quam omne quod est, Aristotelis esse, cui quotiescumque suum Heinsius eloquium commodare dignatus fuerit. quid inde nasci oporteat nescire nemo, efferre pauci valeant. Vale Vir summe et nos ama. Hagae-Comitis 9° Cal: Octobris 1621.

T. D: Studiosissimus.

C. Hugenius.

Fortunato Sprechero Equiti. Curiae Rhaet:

(47)

Clarissime Domine

Quantum gaudii atque voluptatis ex amicâ litterarum tuarum compellatione perceperim, ut tibi ipsi non primum praesentibus palam testatus sum. Quamquam enim ex temporis intervallo immensas denique per ambages ad me delatas esse comperio; sic omnino persuasum habeas rogo, nihil ijs unquam acceptius accidere nobis potuisse. ut qui eas tanquam amicitiae feliciter quidem inchoatae, non tamen hactenus obsignatae avidum atque ἀρραβῶνα amplectimur; et hasce invicem eodem nomine acceptas haberi digneris ex animo obsecror. Prorsus quidem ita sese res habet, ut scribis minus anxium fuisse me de fide quam Clavennae mutuò dederamus, liberandâ, quam vel absorbuisse omnes vos crudelissimam lanienam, quae vix hebdomadis intercessu discessum nostrum insecuta est vel adeo denique de Rebus Rhaeticis actum fuisse arbitrati sumus, uti neque ad quem, neque quâ literas perferendas

curaremus